

id est, id autem faciam non viribus meis, sed auxilio gratiæ tuæ, quando venies ad me, vt me illumines, & doceas, & accendas, & moueas. Hanc vltimam particulam aliqui legunt cum interrogatione, quando venies ad me? sic S. Hieronymus in Commentario, & Theodoretus, atque Euthymius. & textus hebraicus, & græcus huic lectioni fauent: & tunc vox est optantis, vt sensus sit, Intelligam in via immaculata, O quando venies ad me, vt perfectè intelligam, & intelligens ambulem in via immaculata? Sed quamuis hæc lectio verum sensum contineat: non tamen est necessarium ita legere, neque reiicienda est latina, & vulgata lectio: siquidem vox hebraica, *מתי*, significat, quando, & potest cum interrogatione, & sine interrogatione legi. certè S. Hieronymus in sua versione ex hebræo, ita reddidit, Erudiar in via perfecta, quando venies ad me.

III. Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ.

Hic iã incipit explicare mores suos laudabiles, vt cæteri imitentur, tum successores, tum subditi. Ad hoc enim Princeps in sublimi loco sedet, vt tanquam lucerna in candelabro posita omnibus luceat. Ac primum declarat qualis fuerit apud se, & in oculis Dei: Deinde qualis fuerit erga alios, & in oculis populi. Ait igitur, Perambulabam in innocentia cordis mei, id est, vitam ducebam, siue perambulabam viam huius præsentis vitæ, conseruans in primis cordis innocentiam; cogitabam bona, appetebam bona, delectabar in bonis; cauebam ne cor meum vitiosis cogitationibus, aut desiderijs inquinarem: sciebam enim à corde vitam, mortemq; procedere. Hinc filius eius Salomon à patre institutus postea scripsit Prouerb. 4. Omni custodia serua cor tuum, quoniã ab ipso vita procedit. Illud, in medio domus meæ, significat, in penetralibus domus meæ, vbi non erat, qui me reprehendere posset. Multi enim in foro, & plateis modestè, & temperatè se gerunt; sed in cubiculo, ac præsertim in cubiculo cordis,

per omnia scelera voluntantur: sed Dauid etiam in penetralibus domus, etiam in cubiculo cordis innocentiam custodiebat.

Non proponebam ante oculos meos rem iniustam: facientes præuaricationes odiui.

Dixit de innocentia cordis, nunc addit de innocentia oculorum, & manuum. Non proponebam ante oculos meos rem iniustam, id est, auertebam oculos, tum mentis, tum corporis ab omni iniustitia, siue in iudicando subditos, siue in distribuendis honoribus, & præmiis; siue in commutationibus, & contractibus. Potest etiam latius hic locus explicari, vt sensus sit, auertebam oculos ab omni spectaculo vitioso, à ludis illicitis, à choreis impudicis, ab omni aspectu rerum, quæ mentem inquinare possunt. Codex hebræus pro re iniusta, habet verbum Belial, vbi verbum, *בלי*, ponitur, & Belial significat absque iugo, quibus duabus vocibus significatur omne genus vitii. Dicuntur viri Belial homines indisciplinati, immorigerati, peruersi. Facientes præuaricationes odiui, id est, non solum oculos auerti à rebus illicitis, nec tantum præuaricationem legum operari nolui; sed odio habui omnes præuaricationes facientes; ac per hoc ipsam præuaricationem maximè detestatus sum. In hebræo clarius dicitur, facere præuaricationem odiui, id est, ego rem iniustam nec videre, nec facere volui.

Non adhæsit mihi cor prauum, declinantem à me malignum non cognoscebam.

Docuit, qualis esset apud se: docet nunc qualis esset apud alios; ac primum dicit talem se fuisse, vt peruersi homines non auderent se illi adiungere. Magna virtus hæc est, cum tanta est apud homines opinio de sanctitate alicuius, vt iniqui non audeant coram illo apparere: & tales omnino esse deberent Principes, & Prælati, qui sunt dati à Deo alijs in exemplum. Non adhæsit mihi cor prauum, id est, non adiunxit se mihi homo prauus cordis. sic interpretatur